

tur, hoc clare videtur dicere, nihil a se in negotio religionis recipi, nisi quod cum Mathematicorum demonstrationibus de claritate certet.

§. X.

Intuitu Physicæ.

Verum quoniam de Mathesi nulla adeo magnalis est, & si quis contra obnitatur, facile refelli potest, ad Physica veniamus. Equidem si quid compendii ex Physicis ad artem nostram redeat, id, quantum quidem intelligo, in duabus maxime rebus consistit: primo, quod a rebus corporeis ad incorporeas, a natura ad authorem naturæ animus euehatur: *inuisibilia enim Dei, æterna videlicet eius tum potentia tum bonitas, a tempore creationis mundi, ex iis quæ sunt condita, intelliguntur. Rom. I.* secundo, vt quædam Theologiæ capita ex Physicorum principiis illustrentur.

Primum illud existimamus maiori fastu quam effectu dici: nam qui Deum existere ex huiusce Mundi contemplatione intelligit, nihil dum habet supra Philosophum, cum quidquid ex Physica arcessitur, supra naturam non extet, Theologia autem (Christianam dico, de qua nobis instituta est disputatio) supernaturalia meditetur, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt*: & vt cognitionem Dei, quam suggestit naturæ diligens speculatione, partem disciplinæ nostræ non minimam constituere concedamus, quæstio integra adhuc manebit, an sit tanti, quod ad eam rem *curfus*
Phy.